

opiniones perturbationum esse dixi, non in eis perturbationes solum positas esse dicunt, verum illa etiam, quae efficiuntur perturbationibus, ut aegritudo quasi morsum aliquem doloris efficiat; metus recessum quemdam animi et fugam; laetitia profusam hilaritatem, libido effrenatam appetentiam. Opinionem autem, quam in omnes definitiones superiores inclusimus, volunt esse imbecillam assensionem. —

Cap. VIII. Sed singulis perturbationibus partes ejusdem generis plures subjiciuntur: ut *aegritudini* invidentia, (utendum est enim, docendi causa, verbo minus usitato; quoniam invidia non in eo, qui invidet, solum dicitur, sed etiam in eo, cui invidetur) *aemulatio*, *obtrectatio*, *misericordia*, *angor*, *luctus*, *moeror*, *aerumna*, *dolor*, *lamentatio*, *sollicitudo*, *molestia*, *afflictatio*, *desperatio*, et si quae sunt de genere eodem. Sub *metu* autem subjecta sunt *pigritia*, *pudor*, *terror*, *timor*, *pavor*, *exanimatio*, *conturbatio*, *formido*. *Voluptati* malevolentia, *delectatio*, *jactatio* et similia. *Libidini* *ira*, *excandescens* *tia*, *odium*, *inimicitia*, *discordia*, *indigentia*, *desiderium*, et cetera ejusmodi. Haec autem definiunt hoc modo. *Invidentiam* esse dicunt aegritudinem susceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti. Nam si quis doleat ejus rebus secundis, a quo ipse laedatur, non recte dicitur invidere; ut si Hectori Agamemno. Qui autem, cui alterius commoda nihil noceant, tamen eum doleat his frui, is invidet profecto. *Aemulatio* autem dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude, et in vitio nomen hoc sit. Nam et imitatio virtutis *aemulatio* dicitur; sed ea nihil hoc loco utimur, est enim laudis: et est *aemulatio* aegritudo, si eo, quod concupierit, aliis potiatur, ipse careat. *Obtrectatio* autem est ea, quam intelligi zelotypiam volo, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiverit. *Misericordia* est aegritudo ex miseria alterius, *inuria* *laborantis*. Nemo enim parricidae, aut proditoris suppicio, *misericordia* commovetur. *Angor*, aegritudo premens. *Luctus*,